



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1442. usque ad annum 1460

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1768

VD18 90118324

§. 158. Jacobi II. Scotiæ Regis obitus

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66507](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66507)

his enim inconsultis expeditiones ejusmo-
 di moliri summæ, ac ne vix quidem supe-
 randæ difficultatis negotium esse ajebat,
 hanc quippe esse illam nationem, quæ sæ-
 pe adversus infideles gloriose certasset,
 & nunc quoque Turcis præcipue timen-
 da foret. Annuentibus Legatis itineris
 hujus expensæ suppeditantur; & in eo-
 rundem gratiam Patriarchatus Monacho
 conceditur, ea tamen lege, ne se Patriar-
 cham aut diceret, aut gereret, antequam
 ad eos reverteretur; Verum magnifica
 Legatorum consilia eventus fefellit.

Sæcul. XV.
 A. C. 1460.

§. CLVIII.

*Jacobi II. Scotorum Regis
 obitus.*

Hoc anno Jacobus II. Scotiæ Rex, cum
 Rosenbergense castellum obsidione
 premeret, disruptæ bombardæ fragmen-
 to tertia die Mensis Augusti interiit; Eo
 occiso ingenti regiminis vicissitudine Sco-
 tia haud parum turbatur. Regina de-
 functi conjux, nomine Maria, Ducis Gel-
 driæ Filia, eo ipso die in castra venerat,
 nec Viri fato dejecta, obsidionem tam vi-
 rili fortitudine prosequitur, ut Anglos ad
 deditonem arcis compelleret, quam vix
 captam, ne novi belli occasio foret, solo
 æquari jussit. Maximum Rex sui desi-
 derium

Boetius l. 18.
 Buchenan.
 l. 11.

U u 3

Sæcul. XV.
A.C. 1460.

derium apud omnes Regni subditos reliquit, cunctis Juvenis hujus Regis fatum deplorantibus, eo vel maxime, quod tot periculis in variis, quæ summa animi fortitudine gesserat, bellis feliciter defunctus, tandem adeo infausto casu mortis invidiæ succubuerit anno ætatis suæ undetrigesimo, regni vigesimo quarto. Huic successit Jacobus ex tribus Filiis natu major, septem duntaxat annorum puer. De cujus tutela, & Regni administratione acriter disceptatum est, eo quod Regina utrumque munus ambiret, eique non pauci e Proceribus adhærerent; tandem vero res hunc in modum composita est, ut Regina Regis pueri tutelam gereret, ceterorum liberorum institutioni præesset, rerum autem, ac regni summa penes binos e singulis factionibus Episcopos relinqueretur; Cum vero Regina tertio viduitatis suæ anno vivis erepta esset, Jacobus quoque Kennathus, S. Andreae Episcopus, Vir mira prudentia & morum integritate conspicuus, tertio quoque Anno post Reginae fatum, iniquissimo tempore obiit; eo enim defuncto, pax, quæ sextum jam annum in toto Regno vigerat, exulare videbatur, ac ceteris Regni Administris nullo amplius concordiae sensu conspirantibus, Scotia maximis turbis exagitata discindebatur.

§. CLIX.